



OTtoprechtus filius fuit Sigoprechti, & nepos Sigisberti primorum Habspurgensium comitum. Is cum magna animi & corporis fortitudine esset præditus, Luitpergam Guntzonis Sueuorum ducis filiam uxorem duxit, atque per eam Brisgouiensem principatum adeptus est. Eam paulo antè S. Gallus dæmonio liberauerat, atq; sanitati restituerat. Postea Otoprechtus ut suam ditio- nem ædificijs exornaret, atque contra latronum irruptiones muniret, duas arces in editis scopulo- rû finibus extruxit, qua per anfractus Iuræ & Vo- gasi, angusta & nemorosa uia in Lotharingiam du- cit. Harû unam à loci uetustate, quem olim S. Ro-

maricus propinquus incoluerat, Altbergam, alteram ab habêdo, quod eum montem possideret, Habspurgum nûcupauit. licet alijs putent eam arcem ab accipitre aue denominatam. Accidit id circa annum Christi sexcentessimum octuagesimum. Vnde postea eius familia, comites Habspurgenses & Altper- genses dici cœpît. Postea etiã in ea ditio- ne, quæ uxoris hæreditaria fuit, trans Rhenum arcem condidit, quam Streychburg appellauit. deinde & Alfatiam propinquam ædificijs excoluit, præsertim in eo loco, qui etiam nû in eius me- moriam Otoprechti thal dicitur, quâ in Lotharingiam proficiscitur, haud pro- cul ruinis antiquarum arcium Habenspurg & Altpurg, ubi hodie S. Theoda- ti cœnobium extat.